

37. *Sententia Doctorum Parisiensium de validitate simi-
lium Matrimoniorum.*

38. *Fortiter resistendum Matrimonii partis Catholicae
cum Aetholica.*

39. *Sine licentia Vicarii Apostolici non licet Missionariis
hujusmodi Matrimonio assistere.*

Uam pridem monuisse, ut Christiano-
rum nuptiae non nisi cum benedictio-
ne Sacerdotali, ac ipso Sacerdote Ec-
clesiae nomine eas probante contrahe-
rentur, disertis verbis expressit Tertul-
lianus libro *De Pudicitia*. "Ideo penes nos (ait) *occulta*
quoque conjunctiones, id est, non prius a *pub-
licam* profectis, juxta machinam & fornicationem judi-
cari periclitantur.

Et ante Tertullianum Martyr Ignatius Epistola ad
Polycarpum, "Decet verò ut ducentes uxores & nu-
ptiae juxta Domini praeceptum sint, non autem ad
concupiscentiam.

Legitur quoque in Capitularibus Regum Francorum
lib. 7. cap. 179. "Prius conveniendus est Sacerdos in
cujus Parochia nuptiae fieri debent in Ecclesia coram
populo. Et ibi inquirere una cum populo ipse sacer-
dos debet, si ejus propinqua sit an non, aut alterius
uxor, vel sponsa vel adultera. Et si licita & honesta
omnia patiter invenerit, tunc per consilium & be-
nedictionem sacerdotis & consensu aliorum bo-
norum hominum eam sponsare & legitime dotare
debet.

Idipsum legitur in Canonibus Isaaci Episcopi Lingonensis
tit. 5. Canon. 6. & anno 909, in Synodo Troslea-
na sub Henrico Archiepiscopo Remensi *capite 8.* renova-
tum fuit.

II. Rationem verò cur occultas conjunctiones veta-
rent easque publice coram Sacerdote fieri vellent, præ-
mittunt: "Quia sæpe in nuptiis *clam* factis gravia pec-
cata tam in sponsis aliorum, quam & in propinquis
sive adulterinis conjugis, & quod pejus est dicere,
con sanguineis aderescent & accumuluntur.

Ob hæc aliæ gravissima incommoda ex clandestini
Matrimonii oriri solita, semper Ecclesia ea detestata
est; iteratque Decretis, etiam sub gravissimis
penis prohibuit.

III. At Synodus Tridentina animadvertens, prohibi-
tiones illas, propter hominum inobedientiam jam non
prodesse; ac insuper perpendens gravia peccata & in-
commoda, quæ ex hujusmodi clandestinis conjugis
quotidie oriuntur; præsertim verò eorum, qui in statu
damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua
clam contraxerant, relicta, cum alia palam contra-
hant, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt; cui ma-
lo cum ab Ecclesia, quæ de *occultis* non judicat, suc-
curri non possit, efficacius aliquod remedium adhiben-
dum censuit: atque præter publicas denuntiationes,
quas juxta modum *suprà cap. 3.* descriptum, præmitti
voluit, insuper declaravit & statuit: "Qui aliter quam
præsentem Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Pa-
rochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testi-
bus Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta
Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles red-
dit: & hujusmodi contractus irritos & nullos esse de-
cernit, prout eos præsentem Decreto irritos facit & an-
nullat.

IV. Quamvis etiam non obstante Decreto Concilii
Tridentini disputetur inter Theologos, an Parochus sit
verus Minister Sacramenti Matrimonii, an verò ipsi
Contrahentes; atque verisimilior videatur sententia af-
firmantium hos esse Ministros; nihilominus illud cer-
tum est, Parochi alteriusve Sacerdotis de Parochi seu

Ordinarii licentia adeo necessariam assistentiam, ut non
assistat, ex Decreto Concilii Tridentini non illicitum
dumtaxat, sed & *invalidum* sit Matrimonium.

V. Cum Synodus simpliciter requirat præsentiam
Parochi, non *Parochorum*; neque exprimat: an viri,
an mulieris, receptum est, quod si Desponsi sint diver-
sarum Parochiarum, alterutrius Contrahentium Pa-
rochi præsentiam sufficere; & ita S. Congregationem
declaratæ refert Fagnanus ad *Cap. QUOD NOBIS*, *De
Clandest. Desponsat.* eique moderna & notoria praxis
suffragatur.

Confectudo in multis locis habet, ut potius coram
Parocho mulieris, quam viri Matrimonium contrahe-
tur; quæ consuetudo in honestate fundamentum habet,
adeoque est merito servanda, uti *suprà cap. 1.* circa
Sponsalia notatum est.

VI. Est autem proprius Parochus, qui vi Decreti
Concilii Tridentini Matrimonio assistere debet, is, in
cujus Parochia alter domicilium habet, ait Rituale Me-
chlinense; & communis praxis suffragatur.

Non sufficit ergo Parochus *originis*, sed requiritur
Parochus *domicilii*, sive illius Parochiæ in qua tempo-
re contracti Matrimonii, alter saltem contrahentium
morabatur, ut juxta vulgarem & communem modum
loquendi, ibi domicilium habere, sive habitare cen-
setur; quamvis non ita fixum, nec eo animo, ut eo loco
perpetuo manere intenderet.

VII. Imò quis domicilium sufficienter ad hunc effe-
ctum habere censendus est, tametsi eo animo ibidem
moretur, ut post certi temporis lapsum inde sit recursu-
rus; quin & ipsa negotia ob quæ ibidem moratur id a-
peritè significent: uti in Scholasticis Academicis mani-
festum est. Licet enim hi dumtaxat pro tempore studio-
rum Academicum Domicilium eligant; quia tamen
pro eo tempore, juxta communem & vulgarem loquen-
di modum, in Academia habitare dicuntur, Parochus
Parochiæ in qua pro eo tempore morantur, *proprius*
ipsorum Parochus in ordine ad contrahendum Matri-
monium habetur.

E contrario si quis tantum recreationis, aut litis al-
teriusve negotii prosequendi causa in aliquo loco, ta-
meti notabili etiam tempore, subsistat, non propterea
ibi domicilium elegisse censetur: eo quod juxta mora-
lem modum loquendi ibidem habitare non judicentur.
Ex vulgari itaque estimatione, & loquendi modo mul-
tum dependet, ut definiatur, ubinam quis Domicilium
dicendus sit habere, ut coram Parocho loci Matrimo-
nium valide contrahere queat. Et quidem in particula-
ribus casibus ex circumstantiis concurrentibus facilius
& securius id determinari potest, quam per generalem
aliquam regulam definiiri aut describi.

VIII. Hoc constat, quod subinde quis possit in dua-
bus Parochiis eodem tempore habere Domicilium; si
nimirum juxta moralem loquendi modum in utraque
sic familiam instituat, ut utrobique juxta moralem &
vulgarem loquendi modum habitare censetur; licet in
uno forsitan loco frequentius personaliter resideat, quam
in altero.

IX. Cum proprius Parochus dicatur à Domicilio ha-
bitationis, consequens est, quod hi qui tale domicilium
non habent, nec *proprium* quoque Parochum habere
censendi sunt.

Potior qui hujusmodi domicilio carent, dicuntur
Vagi seu *Vagantes* & incertas sedes habentes. Unde ta-
les etiam habendi sunt, qui Domicilium deserentes,
navigant, vel iter faciunt, quærentes ubi se collocent:
Hi enim domicilio carentes eatenus *Vagantes* dicun-
tur, & incertas sedes habentes: uti notat Sanchez
lib. 3. De Matrimonio Disp. 25. num. 2. qui dein *num. 3.*
notat, etiam & illum merito posse *vagum* appellari, qui
relicto

relicto suo Domicilio iter facit ad locum in quo domi-
cilium constituere destinavit: eo quod hætenus pro eo
tempore quo est in itinere, nullum domicilium habe-
at; utpote priore deserto, & secundo nondum occu-
pato.

X. Cum igitur Tridentina Synodus exigat ad validi-
tatem Matrimonii præsentiam *proprii* Parochi habita-
tionis sive domicilii, non apparet, qua ratione in *Vagis*
sive *Vagabundis* illis hoc Decretum in omni suo rigore
servari queat quandoquidem hi, ex supposito, *proprio*
Parocho habitationis seu domicilii careant.

Concludendum ergo apparet, quod dum hoc De-
cretum respectu *vagantium* non potest quoad omnia
exactè servari, eo quod *proprii* Parochi, præsentia ha-
beri nequeat; saltem servetur quantum potest: uti no-
tat Zypæus *Resp. 7. De Sponsalibus*.

Hinc consequens est, quod dum *vagabundi* non pos-
sunt coram suo *proprio* Parocho contrahere, saltem
contrahere debeant in præsentia *Parochi* loci in quo
tempore contrahendi Matrimonii consistunt; neque
possint eo loco coram alio Parocho, aut Sacerdote sine
licentia Parochi loci Matrimonium inire. Quin & ipsa
Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 27. De Reformat. Ma-
trim.* fat ostendit, *vagabundos* coram Parocho debere
contrahere, ubi *Parochis præcipit, ne illorum Matrimo-
niiis intersint, nisi servatis iis quæ ibidem præscribun-
tur; cui & communis praxis consonat.*

XI. Ulterius, si supponatur sponsus esse *vagabun-
dus* sive omni domicilio destitutus, sponsa autem do-
micilium fixum habeat, & consequenter *proprium* Pa-
rochum habitationis, videtur coram hoc Parocho con-
trahendum: eo quod sic Concilio Tridentino satisfieri
queat, quod requirit præsentiam *proprii* Parochi.

Dum enim *vagabundi* coram Parocho, in quo tem-
pore contrahendi Matrimonii reperiuntur, contrahunt,
nequaquam in rigore coram *proprio* Parocho habitatio-
nis contrahunt; & satenus ob necessitatem à Decreto
Concilii receditur: qui recessus admittendus non appa-
ret, dum alteruter contrahentium *proprium* habitationis
Parochum habet: eo quod hoc casu Decreto Concilii
Tridentini satisfieri queat, contrahendo coram *proprio*
Parocho sponsæ non *vagabundæ*.

XII. Synodus Tridentina advertens, quod multi qui
vagantur & incertas habent sedes, prima uxore reli-
cta, aliam & plerumque *plures* illa vivente, diversis
in locis ducant, omnes ad quos spectat, paternè mo-
net, ne hoc genus hominum *vagantium* ad Matrimo-
nium facile recipiant, Magistratus etiam seculares
hortatur, ut eos severe coerceant. Parochis autem
præcipit, ne illorum Matrimonii intersint, nisi prius
diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordina-
rium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.
Citato Cap. 7.

XIII. Decreti hujus executionem Synodus Belgicæ u-
no consensu urgent, vultque Synodus P. II. Mechli-
niensis *tit. 10. cap. 6.* ut licentia ab Ordinario obtineat
*in scriptis: neque ea licentia sine causa cognitione &
matura deliberatione detur.*

Synodus P. II. Cameracensis *tit. II. cap. 5.* vult, ut
ignoti, & qui certas sedes non habent, non admittan-
tur ad contrahendum Matrimonium, nisi præviis at-
testationibus Pastoris, ubi novissimam fecerint resi-
dentiam, aut aliorum fide dignorum quorum sigilla
vel signaturæ sint Pastori, coram quo contrahere vo-
lent, bene notæ, aut sufficienti aliorum depositione
apud eundem comprobata.

Non dubium ergo, summâ circumspectione, & non
nisi auctoritate Superiorum à Parochis hujusmodi Ma-
trimonia esse solemnizanda, sed tamen quia in hoc De-
creto nulla clausula irritans apposta est, si Parochus
neglectis iis quæ à Synodis sunt præscripta, Matrimonio
Van Espen Jur. Eccl. P. II.

assistit, *validum* erit Matrimonium; quamvis Paro-
chus graviter deliquerit, & à Superiore promerito
castigandus sit; uti post Sanchez notat Zypæus in *jure
Novo tit. De Sponsalibus num. 13.*

XIV. Advertit quoque Zypæus *Resp. 7. De Sponsalia-
bus*, quod omnia Concilii in citato *capite 7.* verba sint
prohibitiva, non permissiva libertatis alicujus quo-
ad *vagos*; aut concessiva jurisdictionis quo ad Pa-
rochos.

Hinc ulterius concludit: "Si qua in civitate peculia-
ris ac proprius constitutur *vagorum* hujusmodi Pa-
rochus, coram aliis ibi contractum Matrimonium e-
rit irritum, tamquam non coram proprio contractum,
cum is ibi existet.

XV. Milites nomine *vagorum* non veniunt, eo quod
ordinariè domicilium propriumque Parochum habere
censeantur. Et quidem miles domicilium habere dicitur
*ubi meret sibi in patria possideat. L. 23. §. 1. ff. Ad
Municipalem.*

Multi autem ex hodiernis militibus in patria nihil
possident, adeoque ii ubi *merent* domicilium habere
videntur; & sic facile ibi Parochum ut proprium forti-
ri, ubi in præsidii, aut aliter morantur, non tantum
per modum transitus L. HÆRES ABSENS §. PROINDE.
ff. de Judiciis. Ità Zypæus *Consult. 2. num. 7. De Off.
Ordinarii.*

XVI. Milites in exercitu Regis Catholici hic in Bel-
gio militantes habent suos respectivè cohortium aut le-
gionum Capellanos *Castrenses*, qui ipsis Sacramenta
administrent juxta datam ipsis facultatem à Vicario A-
postolico ad Exercitus Regios per Breve Apostolicum
constitutum.

Quare nec dubium, quin milites in exercitu actu ex-
istentes coram suis respectivè Capellanis tamquam pro-
priis Parochis Matrimonium contrahere possint.

Inter Concordata Ordinariorum 23. Jan. 1595. inita,
& denuo in Septembri anno 1628. inter Archiepisco-
pum Mechliniensem ut Delegatum exercitus, & Episco-
pos Comprovinciales renovata, relatum est, ut Pa-
rochis liberum sit administrare Sacramenta omnibus
divertentibus ad suas Parochias, & sepulturis in iis
morientibus, salvis juribus: Non licebit tamen Pa-
rochis assistere militibus seu personis de exercitu Ma-
trimonium contrahere volentibus; nisi tamquam
Præsidarii in eorundem Parochorum Parochi-
is, resideant. Ità Zypæus *Consult. 2. De Offi-
cio Ordinarii*; qui ibidem Breve Apostolicum Delega-
tionis ad Exercitus Regios discutit; & sub eodem titulo
in *jure novo* plures dictorum Concordatorum articulos
refert; nec non de Militum Matrimonii in Belgio latè
tractat *Consult. 14. De Sponsalibus*, ibi specialiter exa-
minat, quandonam hodie aliquis pro milite habendus
sit, ut jure militari gaudeat: atque rectè monet *num. 16.*

Si quis non animo militandi per collusionem nomen
dederit, ut Contra interdictum forsitan Ordinarii, à
Castrensi Sacellano conjugatur Matrimonio & mox
quasi à militia mittatur, dicendum erit revera quod
simulata militia verum effectum veri & proprii Pa-
rochi ei non potuerit producere; adeoque nec Sacel-
lanus Castrensis Matrimonio ritè & ratè præesse; nec
ille validè conjugari.

XVII. Parochi assistentia ad validitatem Matrimo-
nii à Synodo Tridentina requisita, non est propriè actus
jurisdictionis, sed simpliciter actus Pastoralis, quem-
admodum administratio aliorum Sacramentorum; unde
& *validum* erit Matrimonium, si Parochus assistat
Matrimonio sui Parochiani in aliena Parochia, etiam
renitente ac reclamante Parocho istius Parochiæ; quin
& in alieno Episcopatu invito Episcopo; uti post
alios notat Barbosa *De officio Episcopi parte 2. Al-
leg. 32. numer. 95.* ibidem quoque notans, Parochum

quantumvis excommunicatum, suspensum, aut interdictum posse *valide* Matrimonio assistere; eo quod maneat verus Parochus; nec assistendo actum jurisdictionis exerceat.

XVIII. Sicuti Parochus alteri Sacerdoti administrationem Sacramentorum, tamquam eorum *Ordinarius* Minister, delegare potest; ita quoque alteri Sacerdoti facultatem assistendi Matrimonio suorum delegat; uti evidenter supponit Synodus Tridentina in verbis, *vel alio Sacerdote de ipsius Parochi licentia*.

Ex contextu Synodi manifestum est, facultatem hanc non posse à Parocho concedi nisi *Sacerdoti*; unde post Navarrum aliosque resolvit Barbosa loco citato *num. 13*. Matrimonium de licentia Parochi tempore petitis coram Acolyto contractum esse nullum.

XIX. Sufficit autem quocumque modo, *sive voce*, *sive scripto* data fuerit hac licentia; modo revera data sit tempore illo, quo Matrimonio assistitur; nam si eo tempore defuisse, licet Parochus postmodum licentiam daret, aut assistentiam ratam haberet, nihilominus invalidum est Matrimonium: "Nam etsi (ait Barbosa *ibidem num. 129.*) regulariter rati habitio retrotrahatur, & mandato comparetur *Reg. RATIONEM eorum vulgariis De Regulis juris in VI.* tamen ubi lex vel statutum presentiam requirit corpoream, rati habitio sequens non sufficit ad actum validandum.

XX. Hanc licentiam an etiam dare queant Vice-Pastores, dependet ab auctoritate, quam à Parocho acceperunt; ni enim hac subdelegandi potestas specialiter ipsis sit data, ea etiam uti non debent: quia cum ipsorum licentia administrandi Sacramenta tantum sit *delegata & vicaria*, ea proprie non delegat: cum Delegatus de jure communi subdelegare ordinarie non possit. Deservitor tamen aut Vicarius etiam amovibilis *alteri Sacerdoti* licentiam dare potest; quia, ut inquit Canonista, Delegatus est ad *universitatem causarum*; cui subdelegandi auctoritas competit: atque ita in praxi servatur.

XXI. Quia Episcopus per totam suam Diocesim manet una cum Parochis tamquam subsidiariis ordinarius Sacramentorum minister, etiam ipse non tantum Matrimonio assistere, sed & alteri Sacerdoti licentiam assistendi dare potest; quemadmodum & Synodus Tridentina declarat in verbis: *Vel alio Sacerdote de ipsius Parochi aut ORDINARII licentia*.

Nomine *Ordinarii* hic intelligitur Episcopus Diocesis in qua contrahentes domicilium habent, itaque omnes qui in auctoritatem & jurisdictionem succedunt; ut Capitulum Sede vacante. Vicarius generalis Episcopi, & etiam Capituli Sede vacante; nisi horum auctoritas specialiter in hoc puncto restricta sit.

XXII. Potest quidem Ordinarius hanc licentiam alteri Sacerdoti etiam *invito* Parocho delegare; at id raro, & non nisi urgente de causa faciendum: eo quod per hanc delegationem Parocho assistentia matrimonialis jure *ordinario* competens adimatur; ideoque jure suo quasi spoliatur, dum hac licentia alteri datur.

XXIII. Præter presentiam Parochi alteriusve Sacerdotis de Parochi seu Ordinarii licentia, necessaria est ad validitatem Matrimonii ex præcepto Synodi Tridentinae, duorum aut trium testium presentia; quæ *simultanea* debet esse, nec sufficit *successiva*, quia Tridentinam copulativè exigit presentiam Parochi & testium, per dictionem, & quæ copulat; uti post plures citatos advertit Barbosa *num. 137*.

Juxta Edictum Blesense *art. 40*. requiruntur in Gallia *quatuor* testes; sed quoad hunc numerum testium, articulum illum in nulla Regni Provincia receptum fuisse, testatur Jeunin *pag. 989*, unde passim & ibidem receptum est, duos ad validitatem Matrimonii sufficere.

XXIV. Qualitatem testium nullam expressit Synodus Tridentina; neque posteriores Synodi aut Ritualia aliquam requirunt. Unde admittuntur in testes quicumque mentis compotes, atque intelligere apti quid agatur; viri & mulieres, etiam proximi consanguinei contrahentium, sine exceptione, quæ hic non habet locum; secus in aliis negotiis ubi requiruntur testes *omni exceptione majores*.

Ratio autem cur Synodus constitutionem non restrinxerit ad testes omni exceptione majores fuisse potest, ne obtentu *exceptionum* multoties Matrimonium irritarentur; aut saltem in dubium vocarentur.

XXV. Presentia Parochi & testium requiritur non corporalis dumtaxat, sed moralis; ita ut sciant & intelligant quid agatur, ipsiusque Parochi atque testium testimonio Matrimonium probari possit, eoque pacto occurrat incommodis ex Matrimonii clandestinis metuentis.

Quare licet Parochus corporaliter esset presentis; sed non intelligeret aut adverteret quid ageretur, invalidum esset matrimonium defectu presentia Parochi; tamen si malitiosè intelligere aut advertere detrectasset. Quia equidem eo casu verum est, non eam fuisse presentiam Parochi, ut de Matrimonio coram se contracto testari posset; quacumque demum ratione id factum sit; uti probat Zypzeus *Consul. 3. De Sponsal.*

Similiter insufficientis erit Parochi presentia, si contrahentes Matrimonium essent retro aliquem parietem, vel Parochus cæcus esset; quia licet verba audiret & intelligeret, non posset securè & certè testari, hos in individuo contraxisse; cum ipsos non vidisset, vox autem facile fallere posset, & ita post alios docet Barbosa.

XXVI. Presentia autem moralis sufficit, tamen si Parochus invitus ac planè reluctans presentis fuerit, modo omnia eo modo coram ipso gesta sint, ut certum de iis testimonium dare queat. Idem erit, si alium in finem & per dolum eò vocatus fuerit; aut casualiter ibidem presentis sit, aut etiam quasi transeat: Barbosa *ibidem num. 85. & 88.* Quæ enim ultra moralem presentiam Parochi & testium requiruntur, tamen ordinariè citra grave peccatum non omittantur, omnia nihilominus Matrimonium non irritant: ut in his obtineat illud vulgatum. *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenentur.*

XXVII. Hæc Parochi testiumque presentia ad eò necessaria est pro validitate Matrimonii, ut nec *ignorantia* etiam *invincibilis* ejus defectum supplere queat; uti nec *privatio* alicujus necessitas: ideoque Matrimonium sine Parochi testiumque presentia contractum in articulo mortis, aut tempore belli, aut pestis, licet Parochi presentia haberi nequeat, invalidum esse post alios resolvit Barbosa *num. 147*.

XXVIII. Quin & Matrimonia contracta in articulo mortis etiam in presentia Parochi & testium ab his qui hucusque in concubinato vixerunt, & proles illegitimas procreaverunt, habentur in Gallia pro *invalidis* ad effectus civiles, per Edictum Ludovici XIII. anni 1639. de quo videri potest Carolus Fevretius in Tractatu De Abusu *lib. 5. cap. 2. n. 43*.

XXIX. Quæ hæcenus dicta sunt de necessitate presentia Parochi & testium; & *invaliditate* Matrimonii ex ejus defectu resultante, obtinent in locis, in quibus ipsum Tridentinum Concilium quoad hoc punctum publicatum fuit.

Decernit quippe Concilium in fine sui Decreti, "ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum, robor post *triginta* dies habere incipiat, à die *primæ publicationis* in eadem Parochia factæ, numerandos.

Hic fat ostendit Synodus, se noluisse Decretum vim suam habere ad *irritandum* Matrimonium iis in Parochiis

Parochiis, in quibus publicatum numquam fuit, quacumque tandem ratione publicatio impedita fuerit.

XXX. In hisce vicinisque Provinciis & Regnis, si Angliam & Poloniam exceperis, Concilium Tridentinum sufficienter quoad hoc Decretum promulgatum esse, ostendit Eximius D. Huygens in suis Observationibus De Sacramento Matrimonii *cap. 36*. neque de Gallia quoad nullitatem Matrimonii clandestini ex defectu presentia Parochi & testimonium ulla hodie videtur vel minima dubitandi ratio amplius subesse.

Cum ergo in omnibus penè locis hic circumjacentibus publicatio Concilii Tridentini sufficienter facta sit; atque ita nullitas Matrimonii clandestini habeatur, admodum rari incidunt casus contracti Matrimonii in loco, ubi Concilium non est publicatum, ab incolis loco in quo illud publicatum fuit, aut econtra: qui ubi occurrerint, consulti poterit citatus Eximius Auctor, qui casus illos solidè ibidem resolvit; atque inter alia rectè advertit *num. 13*, quod hoc Concilii Decretum non afficiat personas ratione loci ad quem divertunt, vel per quem transeunt; sed ratione loci in quo habitant; ac propterea incolas loci, in quo Decretum est publicatum, non posse validè contrahere clandestinè in loco diverforii, vel transitu ubi non est publicatum.

XXXI. Potrò quod supra dictum est, nec *necessitatem* supplere defectum Parochi, id expressè restrictum ad necessitatem *particularem*; nam si generalis aliqua & inevitabilis necessitas fuerit, etiam Concilii Decretum cessabit; uti notatum fuit ob similem inevitabilem necessitatem, Vagantes posse contrahere coram Parocho loci, in quo consistunt dumtaxat & non habitant; eo quod Parochum domicilii non habeant.

Hac ratione fertur Congregatio Cardinalium declarasse, "Quòd ubi etiam constat Decretum Concilii esse publicatum, vel aliquo tempore in Parochia tamquam Decretum Concilii observatum, sed Parochialis Ecclesia utpote vacans proprio Parocho careat, & Cathedralis itidem Episcopo atque Capitulo habentibus, à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi; nullusque alius ibi sit, qui vices Parochi aut Episcopi suppleat, Matrimonium valere absque presentia Parochi: servata tamen in eo, in quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus. Apud Zypzeum titulo de Sponsalibus *n. 16*.

XXXII. Matrimonia Acatholicorum coram Magistratu politico, aut ministro Acatholico contracta etiam in illis locis, ubi Decretum Concilii Trid. aliquando fuit publicatum, esse valida, etsi nec desit copia Parochi Catholici; neque sic conjunctos ad Ecclesiam Catholicam redeuntis, esse urgentes coram Parocho consensus matrimoniale renovere, non tantum in Gallia & Germania, sed in Provinciis Confederatis, ubi Calvinistæ dominantur, jam à 70. & amplius annis communiter receptum fuit; atque toto quasi orbe spectante pro validis reputata fuere, quemadmodum nuper in quadam Dissertatione sub titulo Theos *De Sponsalium* ostendit Eximius D. Martinus de Swaen in hac Academia Sacre Theologiæ Doctor; eorumque validitatem solidè adstruit; profertque varias easque urgentissimas rationes, ob quas merito Pontificibus & Episcopis visum sit, Decretum Concilii Tridentini non comprehendere Matrimonia Acatholicorum in Provinciis confederatis sub temporali dominio Hæreticorum constitutis.

XXXIII. Prima ratio petitur ab utilitate Ecclesiæ & salute animarum. Si enim Matrimonia Acatholicorum coram Magistratu Politico, vel Ministro Acatholico contracta sint invalida, sequetur, "nullum conjugatum Calvinistam posse ad fidem Catholicam converti, & Ecclesiæ Catholicæ reconciliari, nisi aut deserat uxorem hæreticam converti nolentem, nisi agnoscat

se hucusque in materiali saltem fornicatione cum putativa sua uxore vixisse; vel nisi illa consentiat (quod raro hodie contingere videmus) de novo inire contractum conjugalem coram Presbytero. Hæc ille *§. 5*.

"Quantum conversioni Acatholicorum hæc sententia ponat impedimentum; & quantum contra Catholicos persecutionem excitare nata sit, (pergit Svanius) nemo est qui non percipiat. Econtra autem si valida censeantur Matrimonia coram Acatholico Magistrate vel Ministro Calvinistico in federato Belgio inita, cessant incommoda enarrata, & conversioni Acatholicorum ostium aperitur.

Refert deinde Eximius Auctor, hanc rationem purpuratis Patribus exposuisse magnum illum ac nominatissimum Præfulem Episcopum Castorionensem per Provincias confederatas Vicarium Apostolicum, cum anno 1671. Romæ negotia sua missionis ageret; quæ respondisse, non convenire ut *questio illa à S. Officio definatur, verum statueret ipse, quod crederet animarum sibi creditarum saluti maximè expedire*. Et eodem anno respondit eidem Anusiti Pœnitentiaria Romana, se sentire, quod Matrimonia Acatholicorum in Belgio federato inita coram Magistratu vel Ministro Calvinista, deberent haberi *valida*.

Quanto autem studio & zelo præfatus Præsul post suum ex Urbe reditum Pastoribus sibi subditis inculcare conatus sit, hujusmodi Matrimonia habenda esse pro validis, multis ostendit Svanius.

XXXIV. Secundum rationem pro validitate hujusmodi Matrimoniorum petit citatus Auctor ex eo, quod moraliter sit impossibilis observatio Decreti Concilii Tridentini de contrahendo Matrimonio coram Parocho Catholico inter Acatholicos, quamdiu in his Provinciis Religio Acatholica dominatum tenet: quam morale impossibilitatem multis iisque solidissimis rationibus evincit.

XXXV. Tertia ratio pro validitate horum Matrimoniorum desumitur ex scopo ipsius Decreti Concilii Tridentini, qui est, ut incommoda ex Matrimoniis clandestinis quæ in foro externo probari non poterant, provenientia evitarentur. Scopus autem hic in Provinciis hisce obtinetur, dum Matrimonia publicè coram Magistratu vel Ministro Acatholico & testibus contrahuntur, idque non aliter quam prævis tribus distinctis publicis proclamationibus: adeo ut non minus apud ipsos Acatholicos quàm apud Catholicos exulent Matrimonia clandestina, ideoque sine Decreti cessante, non apparet ratio cur ejus observantia urgeri debeat, præsertim cum maximis illis incommodis quæ ex urgenda hæc observantia sequerentur; uti latius videre licet apud Svanium; nec non Eximius D. Huygens qui in suis Observationibus de Sacramento Matrimonii horum Matrimoniorum validitatem similiter adstruit; & argumentis in contrarium adduci solitis respondet; atque signanter notat ex Svanio, resolutionem Cardinalium datam Sasboldo Vicario Apostolico, relata à Zypzeo titulo *De Sponsalibus num. 16*. quæ dicta Matrimonia declarantur *invalida* emanasse id temporis, quo Rex Catholicus nullum adhuc jus liberæ Reipublicæ Provincie illis cesserat; atque nullius adhuc Religionis pacificæ, nisi solius Catholicæ, indulgeret exercitium, exturbans ubicumque poterat Ministros Acatholicos. Quid nî pro hoc tempore declarare potuit S. Congregatio Decretum Concilii Tridentini, etiam Acatholicos obligare; cum nec tunc subessent, nec timerentur incommoda illa, & observantia impossibilitas, quæ hodie mutato politico regimine, & publico religionis exercitio ex necessitate observantia istius Decreti orientur; uti fufius exponit Svanius *§. 6*.

XXXVI. Quod de validitate Matrimonii Acatholicorum